meminit · ubi eneas urbem designat aratro ·
Aut per id quod continetur · ut si quis horreum
mutata · d · littera · affirmat ab hordeo
nominatum · Aut per abusionem · ut cum
horreum dicimus · et ubi triticum conditur ·
Vel a parte totum · ut mucronis nomine
quae summa pars gladii est · totum gladium
vocant · Vel a toto pars · ut capillus quasi
capitis pilus · Quid ultra provehar · Quicquid
aliud annumerari potest · aut similitu-
dine rerum et sonorum · aut similitudine
rerum ipsarum · Aut vicinitate · aut con-
trario contineri · Videbis originem verbi
quam persequi non quidem ultra soni simili-
tudine possumus · Sed hoc non semper utique
possumus · Innumerabilia sunt enim verba ·
quorum ratio non reddi possit · Aut non est ·
ut ego arbitror · Aut latet · ut stoici con-
tendunt · Vide tamen paululum quomodo per-
venire putant ad illa verborum cunabu-
la vel stirpem potius · Atque adeo sementum ·
ultra quod quem originem vetant · Nec
si quis velit · potest quicquam invenire · Ne-
mo ambigit syllabas in quibus · u · littera
locum obtinet consonantis · ut sunt in his